

lentiori velocitate ; stagnatione ; & plurimis sane causis oriri potest ; ad quas investigandas serio incumbendum , ut fiat curatio.

702. Nam pro varietate illarum (701.) diversa remedia , & medendi methodus debent eligi : pediluvia , epispastica pedum & poplitum ; frictiones harum partium ; clysmata diluenti saepe applicata ; victus tenuis ; potus sedans , deobstruens , diluens ; medicamenta ad caput emollientia ; emetica quandoque ; purgantia ; levia anodyna ; cruris ex pede emissio ; haemorrhoidum solutio ; menstruorum laxatio , primaria habentur .

C O M A F E B R I L E .

703. **C**oma est in febre assidua somnolentia cum effectu , vel sine eo ; ponit ubique eum in cerebro statum , unde impeditur sensuum , motuumque animallium exercitatio ; qui oriri potest a defectu appellendi liquidi arteriosi ad cerebrum ; aut ab impedito ejus circulo per cerebrum ; aut ab impedita secretione spirituum a sanguine in nervos ; aut ab denegato horum per nervos fluxu , & refluxu .

704. Hinc plurimae , diversae , & saepe contrariae causae hunc affectum in febre

pro-

producunt, quales sunt omnes vehementes evacuationes, aut repletiones; omnes nimiae sanguinis inspissationes glutinosae, pingues, inflammatoriae; omnes causae cerebrum ipsum comprimentes, qualescumque fuerint; quae eadem in nervos, si a-
gunt, eadem fere efficiunt.

705. Unde iterum patet, a Medico per signa prius indagandam causam illam singularem esse, antequam definire queat, quid applicandum sit, & quomodo: nam saepe contraria exiguntur; & saepe coma dia pertinax, irrito tentatis omnibus, sponte tandem cessat, pepasmo febris ab-
soluto.

706. Illa autem, duae delirio, hic apta
(702.), in primis fomenta capiti, colloque applicata.

707. Si autem magnae inflammationis signa adsint, curandum ut morbus prin-
ceps, de quo postea.

PERVIGILIUM FEBRILE.

708. Contrarium illi malo (703.) est Pervigilium; unde intelligitur: & pro causa habet plerumque levissimae inflammationis cerebri prima initia, quibus auctis in coma mutatur saepe.

709. Curatur quiete musculari corporis;
pace